



Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/342461>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

USUFRUCTU.

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-

ris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis

ritè & legitime consequendis,

Eruditorum examini subicit

RUTG. HENR. WYCHGEL, Altenâ-Marcanus.

A. D. 4. August. horis locoque solitis.




TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae

Typographi, clō lōc xc.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ACADEMIA
D. H.
PARENTIBUS,
AMICIS
ET
FAUTORIBUS.



Hanc Disputationem Inauguralem

Offert ex inscribit

TRIACTI ab RHEINUM
RUTGERUS HENRICUS WYCHGEL.
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academicæ
Typographi, cl. 1790.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USUFRUCTU.

THESIS I.



Quoniam omnis materia à definitio-
ne incipere debet, ideo definitio
ususfructus præmittenda est, de-
finitur autem ususfructus, quod
fit jus alienis rebus utendi fruendi
salva rerum substantia *l. i. b. t. pr. j.*
eod.

I I.

Per *jus* in hac definitione,
quia verbum juris adjungitur verbo faciendi, intelli-
gendum facultas & potestas legitima alicui competens,
non vero servitus: quippe cum servitus sit in serviente,
uti autem & frui ejus sit, cui servitus debetur, *jus* vini
agendi, servitus patiendi significationem habet: servi-
tus enim regulariter non in agendo sed in patiando con-
sistit. *l. 15. §. i. ff. de serv.*

I I I.

Alienis rebus: materia, quæ usumfructum
constituit sunt res alienæ, idque commune omnium ser-
vitutum: neque enim res sua ulli servit. *l. 5. si serv. pet.*
l. 26. de S. P. V. Unde patet definiri hic usumfru-
ctum quam vocant DD. formalem, non vero causalem,

4 A DISPUTATIO JURIDICA

quam distinctionem non tanquam generis in species, sed nominis in sua significata facilius doctrinæ causâ, tollerandam censeo. Indicantur autem ea diversa genera ususfructus in *l. 21. §. 3. de except. rei jud. l. 126. §. 1. de Verb. Obl.* Et ususfructus quidem formalis est, qui consideratur in abstracto sejunctus & separatus à proprietate, unde quod per se subsistat, & formam propriam habeat, formalis dicitur: Causalis vero est qui consideratur in concreto conjunctus & immixtus proprietati suæ, quasi causæ suæ, unde illi nomen, cum scilicet penes unum eundemque est proprietate & ususfructus, sed tunc ususfructus servitus dici non potest, cum rebus nostris potius utamur jure dominii quam servitutis: illum igitur habet qui dominus non est in re aliena: hunc autem dominus in re sua: *Vid. hanc quest. apud Ungepaar Exerc. 6. quest. 8. Vinn. pr. j. h. t.*

Utendi fruendi. Quo indicatur fructuarium non tantum posse rem fructuariam tractare & exercere ad necessitatem & usum quotidianum, sed etiam ut omnes fructus, tam naturales, qui ex re fructuaria proveniunt, sive sponte sive opera, quam civiles, qui per causam rei obveniunt, percipere possit *l. 7. l. 9. l. 59. §. 1. h. t.* Cæterum fructuarii non aliter fructus fiunt, quam si ipse, vel alius ejus nomine perceperit *l. 12. §. ult. h. t. l. 25. §. 1. de usur. l. 13. quib. mod. ususfr. am. hinc heres in fructibus licet maturis nondum tamen perceptis & qui terra tenentur nihil juris habet d. l. 13. quib. mod. ususfr. am. §. 36. j. de rer. divis. quid juris sit in civilibus fructibus docet l. 58. l. 26. h. t. Vinn. ad d. §. 36. j. de rer. divis. Struv. Exerc. 12. thes. 19.*

Salva rerum substantia. His verbis non solum modo indicatur, ut liceat uti frui, quandiu res salvæ man-

manferint, cum sit jus in corpore, quo ablato & ipsum tolli necesse sit *l. 2. h. t. pr. j. eod.* sed etiam modum quo fructuarius uti debeat, significari arbitror, ut scilicet fructuarius ita re uti & frui debere, ne qualitatem rei mutet, & ita causam proprietatis reddat deteriolem *l. 13. §. 4. 5. §. 7. h. t.* recte enim colere rem & curam ac diligentiam adhibere debet, & quidem talem, qualem bonus ac diligens paterfamilias in suis rebus adhibere solet *§. 38. j. de rer. divis. l. 9. §. 2. l. 65. h. t. l. 1. §. 3. §. 7. l. 2. usufr. quem. cav.*

V I.

Unde jam consequitur, usumfructum constitui non posse in iis rebus quæ usu consumuntur, cujusmodi sunt vinum, oleum, frumentum, cæteræque res fungibiles, quæ pondere, numero, mensurâ constant & in genere suo functionem recipiunt, nam hæ res ait Imperator in *§. 2. j. h. t.* neque naturali neque civili ratione recipiunt usumfructum. Sed utilitatis causa & ob favorem ultimæ voluntatis Senatus earum rerum quasi usumfructum constituit, ita tamen, ut eo nomine heredi datis fidejussoribus caveatur *l. 8. h. t. §. 2. j. eod. l. 7. §. 1. usufr. quem. cav.*

V I I.

Hic optimè quæritur, an vestimentorum sit verus, an vero quasi ususfructus? illorum verum usumfructum esse ob sequentes rationes arbitror (1.) quia vestimenta in rebus, quæ ipso usu tolluntur numeranda non esse, patet exinde, quod vestimenta alteri locari & commodari possunt; quod secus est in iis quæ ipso usu tolluntur *§. pen. j. de locat. §. cond. l. 3. i. fin. Commod.* (2) usufructu vestimentorum legato non dantur ea legatario, ut ejus fiant, ut pro libitu ea consumere possit, quod fit legato usufructu rerum fungibilium, sed ut iis utatur, quomodo vir bonus uteretur *l. 15. §. 4.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

h. t. neque cavet legatarius se ejusdem generis vestes aut earum æstimationem finito usufructu restitutum, uti fit in quasi usufructu *l. 7 de usufr. ear. rer.* sed ipsam rem & speciem scilicet vestes quas accepit. *l. 9 § pen. usufr. quem. cav.* & quod hæc propria veri usufructus sint, ostendit prima & secunda clausula cautionis in vero usufructu recepta *l. 1. usufr. quem. cav.*

V I I I.

Constituitur usufructus vel à lege, giudice & Domino. *A lege* ut (1.) Patri in bonis liberorum adventitiis *l. 6. l. ult. C. de bon. quæ lib. §. 1. j. per quas pers.* nisi expresse liberis relictum sit, ne pater habeat usufructum *Nov. 117. c. 1. auth. excipitur C. de bon. quæ lib.* (2.) Patri emancipatori in bonis adventitiis filii emancipati pro parte dimidia, quasi remunerationis gratia pro præmio delatæ emancipationis *d. l. 6. §. 3. C. de bon. quæ lib. §. 2. j. d. t.* (3.) Conjugi ad secunda vota transeunti, superstitibus liberis, in bonis quæ à defuncto conjugè sive titulo institutionis, legati, donationis propter nuptias, sive alio quovis titulo lucratorio, vel quæ ex successione liberorum prioris matrimonii ad eum pervenerunt *l. 3. §. auth. seq. l. 5. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 46. §. 2. Nov. 127. c. 3.* Cæterum præscriptione longi temporis exemplo rerum corporalium usufructus nobis acquiritur *l. fin. C. de præscrip. long. temp. l. 2. C. de serv. §. aq.*

I X.

A giudice in judiciis divisiis, ut familiæ erciscundæ & communi dividundo: ubi judex si res divisionem commodè non recipiat, uni usufructum, alteri vero proprietatem rei adjudicat *l. 6. §. 10. com. div. l. 16. §. 1. fam. erc.* aliquando etiam in hisce judiciis, si impar adjudicatio est, is cujus pars præponderat vicissim in certam pecuniam consorti condemnatur, *§. 4. §. 5. j. de off. jud. l. 52. §. 2. l. 55. fam. erc.*

X.

A Domino denique constituitur usufructus non solum contractibus inter vivos, ut stipulationibus & pactionibus non autem nudis, sed ut loquuntur vestitis *l. 3. pr. h. t.* imo nuda pactione usufructus recte conceditur, si ea contractui vel legitimæ conventioni aut traditioni, divisionive in continenti adjiciatur *l. 13. comm. pr. ed. l. 48. de pact. l. 33. de S. P. R. l. 28. C. de don.* Requiritur autem hoc casu ad ipsam acquisitionem usufructus, à concedente vel traditio rei, in qua usufructus constituitur *l. 7. usufr. quem. cav. l. 7. h. t.* vel aliquod factum quod traditionem repræsentet *l. 3. h. t. l. II. §. I. de publ. in rem. act. l. fin. de servit. l. I. §. fin. S. P. R.* Verum etiam ultima voluntate, legato, mortis causa donatione *l. I. §. tot. tit. de usufr. l. 3. pr. l. 6. l. 25. §. fin. §. I. j. h. t.* Cæterum superficialis & Emphyteuta non directò sed prætoris tuitione usufructum constituunt *l. I. quib. mod. usufr. l. 9. §. I. usufr. quem. cav. l. I. §. 6. §. fin. de superfic.*

XI.

Potest autem constitui usufructus in rebus omnibus à quibus utilitas aut commoditas aliqua redundat *§. 2. j. h. t. l. I. de usufr. ear. rer. immobilibus & mobilibus l. 3. §. I. §. 2. j. h. t. parte bonorum vel bonis omnibus l. 29. l. 43. eod. pure vel sub conditione l. 9. §. 4. ad exhib. l. 16. quib. mod. usufr. l. 16. §. 2. fam. etc.* tam pro parte divisa quam indivisa *l. 5. l. 43. h. t. l. 14. quib. mod. usufr. am. l. 81. ad L. Falcid.* est enim usufructus dividiuus usus autem individuus *l. 19. de usu §. habit. d. l. 5. h. t. Vinn. select. quæst. l. I. quæst. 28.*

XII.

Cæterum antequam usumfructum ita constitutum consequatur usufructuarius cautionem præstabit, in vero usufructu quidem se usum boni viri arbitratur, &

8 DISPUTATIO JURIDICA

& cum pertinere ad eum desinet, restitutum quod inde exstabit *l. 13. b. t. l. 1. tot. tit. usufr. quem. cav.* in quasi usufructu verò, quoniam proprietas transit in fructuarius, non præstat fructuarius cautionem de re boni viri arbitrata utenda, & finito usufructu eadem re restituenda, sed se restitutum tantundem in genere aut ejus æstimationem si res æstimata fructuario data sint *l. 7. l. 9. de usufr. ear. rer.*

X I I I.

Utraque cautio cum sit satis datio *l. 13. pr. ff. l. 4. C. b. t.* & quidem prætoriana *l. 1. pr. de usufr. quem. cav.* fidejussoribus præstari debet *l. 7. de præt. stipul. l. 1. l. 8. § 4. qui satisfd. cog.* non vero pignoribus, vel auri argenteive depositione *d. l. 7. de præt. stip.* si vero usufructuarius propter inopiam idoneum fidejussorem invenire non potest, tunc eum ad juratoriam cautionem admittendum esse benignior est sententia arg. *l. 6. si cui plus quam per leg. Falc. Gail. 2. obs. 47.* si tamen persona fructuarii, sit frugi honestæ & probæ vitæ: alias arbitrio boni judicis, res fructuaria, vel penes honestum virum sequestranda, qui respondeat fructuario de fructibus, vel penes proprietarium relinquenda, qui contra fructuario rectè caveat, ne pereat ultima voluntas defuncti, & ut in omnem eventum proprietario satis consultum, & fructuarius commodum percipiat *Vinn. Comm. j. b. t. Zoefi ad tit. de usufr. quem. cav.*

X I V.

Cautio autem hæc fidejussoria in omni usufructu ab omnique fructuario præstanda est *l. 13. de usufr. l. 1. §. 1. § 2. l. 9. §. 1. usufr. quem. cav.* Excipiuntur tamen (1) pater in bonis filii adventitiis ob reverentiam paternam *l. 8. § 4. versu sin. autem. C. de bon. quæ lib.* (2) fiscus, quia præsumitur esse dives *l. 1. §. 18. ut leg. nom. cav.* (3) donator, omnium aut partis bonorum retento

retento usufructu, quia mitius agendum cum eo qui ex liberalitate convenitur *l. 19. §. 1. de re. jud. l. 28. de R. J. Struv. Exerc. 12. thes. 71. (4)* is cui usufructus pure, proprietas ex die deberur, quia certum est proprietatem ad eum perventuram *l. 9 §. 2. usufr. quem cav.*

X V.

Quæritur autem hic an hæc cautio à testatore remitti queat? quod negatur per *l. 7. C. ut in poss. legat. l. 1. C. de usufr.* Gail. 2. obs. 145. quod ad primam clausulam cautionis fructuariæ, quæ est de utendo fruendo boni viri arbitrato, pertinere puto *arg. d. l. 7. C. ut in poss. legat.* ne remoto hujus cautionis metu, fructuarius invitetur ad delinquendum grassandumque in re aliena, quod fieri non debet *arg. l. 27. §. 3. de pact. Gail. 2. obs. 145.* & quamvis hoc casu heres habiturus sit actionem contra fructuarium, ubi res negligentia ejus deterior facta est *l. 13. §. 2. de usufr.* hæc tamen ei inutilis futura, si forte finito usufructu fructuarius ad inopiam reductus fuerit; quod si vero de facto testator cautionem remiserit legatum minimè vitiatur, sed non obstante hac remissione legatarius cautione oblata usufructum petere potest *l. 6. ut in poss. legat. l. 1. C. de usufr.*

X V I.

Cæterum, quoniam in quasi usufructu fructuarius, cum in eum transeat proprietas, non præstat cautionem de re boni viri arbitrato utenda, & de eadem re finito usufructu restituenda, sed se restitutum tantundem in genere, aut ejus æstimationem *l. 7. de usufr. ear. rer.* hæc tamen non minus in hoc usufructu necessaria est, quam alia illa in vero, neque magis quam illa à testatore remitti potest *l. 1. C. de usufr. l. 6. ut in poss. legat.* cum hac saltem via proprietarius securitatem sibi addere possit; quippe qui hic finito usufructu
B nullam

10 DISPUTATIO JURIDICA

nullam actionem in rem adversus fructuarium habeat, sed personalem scilicet quantitatis conditionem *l. 5. §. 1. de usufr. ear. rer.* quæ proprietario inutilis foret, si finito usufructu debitor inops reperiat *Struv. D. Exorc. 12. thes. 70.*

X V I I.

Verum enim vero, quanquam hæc ita sese habeant, quod hæc cautio usufructuaria à testatore remitti nequeat, & facta ejus remissione non obstante necessario ab usufructuario illa præstanda sit; inde tamen minimè sequitur hanc cautionem esse de substantia veri vel quasi ususfructus; quippe quæ alias juxta thes. præced. 14. non abesse posset, unde etiam ea non interveniente nihilominus ususfructus consistit, atque interim jus exigendi cautionem, & finito eo, condicendi quantitatem loco proprietatis habetur *l. 5. §. de usufr. ear. rer.* Heredem autem hanc cautionem remittere posse certum est, cum suum jus diminuere possit *l. 71. ad Leg. Falc.*

X V I I I.

Usufructu ita constituto competit usufructuario actio in rem confessoria, quæ contra quemvis possessorem aut qualibet ratione liberum usumfructum impediens, agit sibi jus esse re utendi fruendi *l. 5. §. 1. l. ult. si usufr. pet. l. 10 §. 1. si serv. vind. §. 3. j. de action.* E contrario datur domino actio in rem negatoria, quæ dominus negat, ei, qui usumfructum usurpat, competere jus utendi fruendi *d. §. 3. j. de action. l. 5. pr. §. ult. si usufr. pet.* incumbit vero in utraque hac actione ei onus probandi qui intendit vel arrogat sibi usumfructum esse constitutum, sive sit in possessione ususfructus sive non, cum quælibet res præsumatur libera *arg. l. 9. C. de serv. §. aq. nisi actor in libello asserat, reum usufructu vi, clam, aut precarius uti, frui, tunc hoc ipsi probandum erit arg. l. 2. de prob. Carpz. 1. Resp. 61. & 68.*

Hiscæ

Hisce omnibus ita perspectis ; restat nunc ut videamus , quibus modis usufructus amittatur. Finitur autem usufructus. Aut soluto jure constituentis *l. 16. quib. mod. usufr. am.* Aut lege Constitutionis *l. 5. l. 12. C. de usufr.* Aut natura sua , idque vel ex persona fructuarii , vel ex re ipsa. Ex persona fructuarii extinguitur (1) morte naturali usufructus uni relictus : nam si pluribus , non extinguitur morte unius , sed alteri conjuncto accrescit *l. 1. pr. §. 3. l. 3. de usufr. accresc.* Sed an inter verbis conjunctos hoc obtineat difficilis diquisitionis est ; mihi tamen affirmantium sententia magis arridet propter *l. 16 §. ult. de leg. 1. l. 89. deleg. 3.* (2) morte civili , quam inducit maxima & media capitis diminutio , dum illa libertatem , hæc civitatem adimit *l. pen. §. fin. C. de usufr.* Singulare est in usufructu servo vel filio relicto , ubi in illo mors domini , in hoc post obitum filii , ipsius patris , & contra post obitum patris superstitis filii spectatur , quasi duplici usufructu constituto *l. 15. l. fin. C. de usufr.*

X X.

Tertio finitur usufructus ex persona usufructuarii non utendo per modum : & siquidem omnino usus non sit , dubium non est , quin amittatur *l. pen. pr. C. de usufr.* Hoc tamen ita accipiendum , si nec ipse utatur , nec alius ejus nomine , aut quibus vendidit , locavit , donavit , *l. 38. de usufr.* Quid vero si nec isti utantur ? & interes , donatarius an emptor conductorve non utatur : nam illo casu perit usufructus , hoc vero propter fruitionem pretii aut mercedis retinetur *d l. 38. l. 39. l. 40. de usufr.* Requiritur autem ut usufructuarius non sit usus per tempus constitutum , quod tempus Justinianus ad ea spatia revocavit , quæ usucapionibus præfinivit *l. pen. §. 1. C. de usufr. l. pen. C. de serv.* Potest
 B 2 etiam

etiam & pro parte amitti ususfructus non utendo *l. 5. de usufr. l. 14. l. 25. quib. mod. usufr. am.* Cæterum si ad modum præscriptum usus non fit usufructuarius, non dubito quin etiam ususfructus pereat per *l. 2. de aqua quot. l. 10 §. 1. l. 11. l. 18. quemad. servit. am.*

X X I.

Ex re finitur ususfructus (1) ipsius rei interitu, quia est jus in corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est *l. 2. de usufr.* in tantum ut ususfructus domus relictus, ea diruta aut collapsa, ne quidem aræ ususfructus debeatur *l. 5. §. 2. quib. mod. usufr. am §. 3. j. b. t.* Idem obtinet, si res in aliam speciem seu formam mutata sit. *d. l. 5. §. 2. §. ult. l. 36 quib. mod. usufr. am.* (2) Consolidatione, si nimirum usufructuario proprietas obvenerit, vel si usufructuarius rursus cedat usumfructum proprietario *§. 3. j. b. t.* Nam si extraneo cedatur, non reverti usumfructum ad proprietarium, sed in persona usufructuarii durare & remanere verius est *d. §. 3. h. t.* Verum hæc de hac materia disquisisse sufficiant.

C O R O L L A R I A.

I.

Dolus dans causam contractui bona fidei eum reddit ipso jure nullum.

I I.

Remedium l. 2. Cod. de rescind. Vend. non habet locum in transactionibus.

I I I.

Filio herede instituto eique substituto dato, repudiante filio substitutus non pater admittendus est.

I V.

Juri lucendi pignoris præscribitur longissimo tempore.

F I N I S.